



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Vitia, quibus assueverint Parochiani, acriter corrigenda ac refrenanda. 15

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

mentorū attinent, præsertim poenitentia. Subinde inquiratur, num in his defes aut negligens interdum sit; & num illi necessarius & honestus victus suppetat, seu digna stipendia exolvantur. Nam si competens victus defecerit, ad eum modum (uti supra diximus) procurandus erit, aut ad Nos referendum.

C A P. XI. *De habitu, tonsura, ac reliquis externis videndum.*

Videndum deinde de eruditione, habitu, tonsura, ac familiari conversatione: honestas familiae exploranda; libri quoque omnes inspiciendi; qui si nothi aut suspecti erunt, auferendi ac tollendi sunt.

C A P. XII. *Num hæresis quæpiam serpat, diligenter investigandum.*

Insuper investigandum erit diligentissime, num in tota Parochia ullus hæreticus aut schismaticus delitescat, num hæresis aliqua serpat: atque hic apponenda securis ad radicem, ut, seducti, per verbum Dei in viam veritatis & Ecclesiae unitatem reducantur; qui contumaces fuerint, e cœtu cæterorum tollantur.

C A P. XIII. *Num agantur alia, quæ cum Dei & Ecclesiae institutis pugnent, dispiciendum.*

Præterea, num in Parochia superstitiones, sortilegia, divinationes, atque alia id generis, quibus mentes à Deo vivo per diaboli fraudes seducuntur, exercentur; num perjuria, blasphemia, adulteria, & similia crimina, ob quæ iratus Deus in nos gladium iræ suæ vibrat, publicè committantur; num Ecclesiasticæ Censuræ contemnantur; num sint, qui Parocho obedire floccifaciant, qui Sacramenta Ecclesiae non participant; item, num festi dies & jejunia Ecclesiastica rite observentur.

C A P. XIV. *De puerorum institutione, & Hospitalium cura, quærendum.*

Deinde videndum, quo pacto pueri instituantur, qui præterea sint Scholis præfecti. Hospitalium quoque cura haud prætermittenda.

C A P. XV. *Vitia quibus assueverint Parochiani, acriter corrigenda ac refrenanda.*

De vitiis, quibus Parochiani vel maxime assueverint, inquisitio facienda, ut per Visitatores verbo Divino ab his populus avocetur.

C A P. XVI. *De Officio Parochi inquirendum.*

Denique expiscandum, num Parochus divinum Officium in Ecclesia, canendo le-

gendoque, rite gerat, num sacrum Baptisma, itidem sacrosanctam Eucharistiam cum Chrysmate, secure ac decenter custodiat, num vestes & reliqua ornamenta, quibus in Divinis Officiis utimur, munde asservet; num ipse, aut qui Ecclesiae Provisores appellantur, templum factum tectum curent; num sacris Altaribus suis honos impendatur; num ruinis domus Parochialis occurrat; num de rebus Ecclesiae alienationes faciat, atque his similia, quæ Visitatoribus Nostris pro eorum circumspicione & prudentia facile occurrent, & ex constitutionibus Nostris, quæ ubique pro loci ac personarum ratione rememorari debebunt, suppetabuntur.

C A P. XVII. *Synodus Episcopalis anno bis habenda.*

ET quoniam Visitaciones istæ generales per singulas Parochias absque magno sumptu singulis quibusque annis frequentari haud possunt, saluberrime sancitum est in antiquissimis Canonibus, bis per singulos annos in singulis Provinciis Concilium fieri: ut primum ante dies Quadragesimæ habeatur, videlicet quo omnibus, si quæ sunt, simultatibus amputatis, mundum solemneque Deo munus possit offerri; secundum vero agatur ante tempus Autumni, in quo si, communi omnium consensu, rationabiliter comprobato, secundum Ecclesiasticam Regulam, duo vel tres, animositate ducti, per contentionem contradicant, obtineat plurimorum sententia Sacerdotum.

C A P. XVIII. *Quid agendum in Synodo Episcopali.*

In his ergo Conciliis, anno bis, de omnibus apud Metropolitanæ, Cathedralium, Collegiatarum, Monasteriorumque Prælatos, & præsertim Archidiaconos, ac quos vocamus Decanos Rurales, qui vocati sunt in partem sollicitudinis Episcopalis, per Vicarium Nostrum in Pontificalibus ac Officialem disquisitio diligens fiat; & quæ ex illorum iudicio reformatione opus habere comperientur, communi consilio emendentur.

C A P. XIX. *De Synodis Archidiaconalibus ac Ruralibus.*

Denique Archidiaconi, qui Episcoporum oculi dicuntur, ac Decani isti Rurales, in suis deinceps Synodis quæ sancita fuerint, in Provinciali seu Episcopali Concilio publicabunt. Et ad eundem modum (qui in Visitacione præscriptus est) vitiis extirpandis ac virtutibus inferendis studeant, criminibus publicis, magis per poenitentias Canonicas, quam pecuniæ exactione, puniendis intenti.

Nic. c. 3.  
Anti. c.  
20. Con-  
stan. c. 3.  
Chalcedo-  
c. 19. c.  
sicut olim  
de accusa-  
tis.

C A P.